MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-12

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

HERBST, CHR.

TITLE:

II. LECTIONES VENUSINAE

PLACE:

[GEDANI]

DATE:

[1858]

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Herbst, Chr
II. Lectiones Venusinae, auctore Chr. Herbstio.
[Gedani, 1858]
24 p. 27 cm.

Gymnasium-programm, Danzig.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT












Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches







II.

LECTIONES VENUSINAE

AUCTORE

CHR. HERBSTIO.

Non semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Hor.

In componenda prima Lectionum Venusinarum particula, quae est ante hos decem annos a me edita, hoc mihi potissimum faciendum esse duxi, ut, cum in Flacci assidue pervolutandis libris non pauca deprehendissem, quae vel depravata esse vel parum intellecta viderentur, hos ego librariorum interpretumve convincerem errores, et diligenter etiam atque etiam observata poetae consuetudine unum et alterum locum a conceptis maculis liberarem. Quam curam quoniam non modo tertia Orelliana *), sed etiam novissima Aug. Meinekii editio declarat non frustra esse a me adhibitam, si nunc iterum oblata scribendi opportunitate etiam de aliis quibusdam locis quid mihi videatur uberius exposuerim, hanc quoque meam operam non plane inutilem aut injucundam fore peritis Musae Venusinae amatoribus, ut opto, ita confido.

---

*) Baiterus, V. Cl., cujus cura posterior pars luculentae hujus editionis est adornata, cum plerumque quam ego de compluribus locis proposui sententiam comprobet aut commemoret saltem, non dubito, quin pauca quaedam, quae non minus probabiliter a me scripta esse puto, haud consulto praetermiserit, velut ea, quae pag. 21 leguntur, quibus satis mihi docuisse videor, in loco eo, qui est Epl. 1, 3, 30, illud si, quod cum Bentlejo praetulit Orellius, verum esse non posse. Cfr. quae nuper de hoc loco in eandem fere sententiam disseruit Doederlinius. Annot. ad Hor. Epistolas pag. 87.

Interdum etiam dubitare sine justa causa videtur vir doctissimus, velut Epl. 1, 14, 44. Conferri nunc licet Meinekii accuratam interpretationem Praef. ad Hor. p. XXXVI, qua quae ego de illius versus sententia pag. 13 exposui, confirmantur nec jam ullum dubitandi locum relinquunt.

Caput I.

Carm. I, 12*), 19—22.

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
Proeliis audax, neque te silebo,
Liber.

Nihil sane inest in his verbis, quod difficilem explicatum habere videatur: ita omnia plana sunt et luculenta. Proeliis audacem commode dici Palladem, quis neget? An cuiquam Bacchus potius, qui

*) Non pridem nescio quis novam de hujus carminis compositione opinionem protulit. Fingit nimirum sermonem hunc esse inter Horatium et Clio ita, ut poeta Musam interroget, quem ipsa sibi celebrandum sumat, haec autem respondeat interroganti et usque ad ipsum poematis finem canere pergat. Paulisper cunctatur ille quidem, cum videt Clio certe non ea posse cantare, quae infra leguntur:

Regulum et Scauros — — —
— — — — — — — —
Gratus insigni referam Camena

sed, ut homo ingeniosus, invenit facile, quomodo hanc non ita magnam difficultatem possit expedire. Ficta sunt, inquit, et haec et omnia, quae proxime vel antecedunt vel subsequuntur, ab imperito scilicet interpolatore, qui abjectis verbis Horatii substituit sua. At quia in his quaedam insunt, quae qui auctor est harum turbarum Peerlkampius damnat, ipse vero censet esse pulcherrima, adeo incertus incipit haesitare, num haec quoque ab interpolatore isto imperito profecta esse dicat, ut, vide pudorem hominis! unum aliquem de scholasticis, quorum idem cavillatur scriptiones, rem, quam ipse non possit, expedire ac dijudicare velit. Nihilominus tamen ille confestim per literas ab amico quodam Bonnensi doctis sane ac lepidis verbis petit, ut τὸν φορυτόν Horatianorum programatum, qui in certo quodam bibliothecae loco jaceat abjectus, perscrutetur et inspiciat, num forte jam alius quis speratam sibi inventi laudem praeripuerit. Festive ille amicum jubet „gravem hanc quaestionem" *(die wichtige prioritäts-frage)* in praesens omittere et quieto animo exspectare, dum exoriatur aliquis, qui sibi in hac causa τὰ πρωτεῖα vindicet; quasi eorum quisquam, qui acriorem curam impenderint carminibus Horatianis, unquam omnino incidere in tam ineptam opinionem potuerit.

Jam vero ipse novam de Carm. II., 1. sententiam proponens, ne plura persequar, tertiam stropham, qua vix alia reperitur pulchrior, immemor Horatianae artis ac consuetudinis, mirabilibus quibusdam ita exagitat argumentis, ut vix possis non suspicari exquisita doctrina insignem virum eorum studia notare imitando voluisse, qui cum interdum propter naevos quosdam „egregio inspersos corpore", saepe etiam propter alias nescio quas causas integra membra utcunque corrigere aut tanquam insanabilia resecare non dubitent, praeclare tamen sibi de poeta Venusino merere videantur.

Ex his ego, quae non animi causa fusius narravi, hoc intelligi volo, cum valde diversa sint, ut scite ait Meinekius, hominum palata, et critici saepe ipsi inter se maxime dissentiant, quid dignum Horatio, quid indignum sit, nisi hi intima cum poeta contracta familiaritate satis idoneas afferre possint rationes, non opus esse profecto eorum commenta, quae jam delebit dies, multum curare aut longa refellere disputatione, sed licere securo animo et lento risu spectare istud „grande certamen", huic „praeda cedat major an illi".

Mihi vero hoc maxime persuasum est, ad Horatii poemata recte accipienda non eum esse idoneum, qui in his singula quaeque diligentissime vel ad historiae fidem vel ad dialecticorum subtilitatem revocare velit.

non sole et pulvere, sed „somno gaudet et umbra"*), fortis ac bellicosus videri potest, quam illa dea, quae „galeam et aegida currusque et rabiem parat"?**)

Verum tamen jam Lambinus, ne suspicatus quidem, ut videtur, alia quoque ratione hunc locum accipi posse, verba proeliis audax ab antecedentibus majore interpunctione diremit, ut ea non cum Pallade sed cum Libero jungerentur. Lambini autem auctoritatem recentiores prope omnes, quorum quidem editiones inspexerim, sunt secuti, neque iis, quae subtiliter contra disputavit Bentlejus, a sua opinione avocari potuerunt. At magnae certe causae sunt, quibus suam rationem veram esse docent. Minime vero. Nam quod Bacchum non modo in expeditione Indica se fortiter gessisse dicunt, sed etiam cum laude interfuisse in pugna adversus Gigantas, non reputant, si quis per totam vitam bis terve fortis fuerit, plerumque vero mollem se atque imbellem praestiterit, non eum posse strenuum dici ac pugnacem. Cur autem ab interpretibus ex Carm. II. 19., tantummodo versus 21—24:

Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala.

ac non ii quoque excitantur, qui subsequuntur:

Quamquam choreis aptior et jocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae ferebaris.

Qui autem ob hanc causam referre ad Liberum illa verba malunt, quod eum vix epitheto carere posse existimant, hi videntur ne ea quidem, quae proxime sequuntur, satis attendisse. Num Alcides, num Romulus, num Regulus epitheto ornati sunt? Quis est, qui, si studiose ac multum in Horatianis scriptis fuerit versatus, non hanc observaverit poetae consuetudinem, ut, dum varietatem sequitur, modo hoc, modo illud, quod quidem „nitescere posse" videatur***), praecipue augeat atque exornet? Compara cum his, quae paulo inferius de Castore et Polluce leguntur, illa, quae Carm. II, 5, 21—24 de Cnidio Gyge, III, 4, 60—64 de Apolline, III, 11, 17—20 de Cerbero, IV, 2, 57—60 de vitulo dicuntur.

Sed quamvis verissima sint quae adhuc exposui, non tamen ea sperarem quibusdam criticis, quorum jam vetustate confirmatae essent opiniones, me probaturum esse, nisi mihi viderer invenisse aliquid, quo omnem dubitationem prorsus sublatum iri certo confido.

Particulam neque multo venustius inchoare sententiam etsi vere dixit Bentlejus, vix tamen cuiquam persuasit; nec id quidem mirum est: nam quid venustius sit, sentiri facilius, quam probari potest. Duentzero igitur, ut uno exemplo defungar, contra „proeliis audax verbis interpositis a Libero separatum fortius videtur proferri", quod quidem quam sit alienum hoc loco, facile ex iis, quae de Bacchi moribus dixi, apparebit,

*) Epl. II., 2, 78.
**) Carm. I., 15, 11. 12.
***) A. P. 150: — — — — — — — quae
Desperat tractata nitescere posse relinquit.

At si princeps ille criticorum minus suo sensu rem dijudicare voluisset observassetque diligentius, qua ratione Horatius particulas, quae copulandi vim habent, soleret collocare, profecto et hunc locum facillime a falsa interpretatione potuisset tueri, nec alibi ipse, ut infra docebo, longe a vero aberravisset. Itaque non vereor, ne, si de hac ipsa re, quam praetermissam esse dixi a Bentlejo, paulo copiosius disseram, frustra hunc laborem suscepisse videar.

1. Particulam neque, ubi est copulativa *(und nicht, auch nicht)*, nusquam Horatius ne uni quidem verbo postposuit, nedum duobus; quumque omnium, quod sciam, poetarum idem usus sit, jure dicas eos, qui hoc loco vv. proeliis audax cum Libero conjungunt, contra legem quandam sermonis peccare, quae illam particulam semper enuntiatum vel incisum inchoare jubeat.

2. nec, quod non plane idem esse grammatici dicunt, quod neque, ipsum quoque in Satiris quidem et in Epistolis semper primum locum obtinet; in Carminibus vero bis uni voci postpositum reperias, ita, ut locum suum habeat inter adjectivum et substantivum, quod tamen non proxime subsequitur. Vid. Carm. III, 18, 6:

Si tener pleno cadit hoedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae.

IV 5, 14: Votis ominibusque et precibus vocat
Curvo nec faciem litore dimovet.

In Epodis semel eadem ratione collocatum est 16, 33.

3. Particula et quam crebro postponatur, nemo nescit. Sunt enim praeter eos, quos Ritterus Epod. 9, 13. annotavit, etiam alii loci,*) in quibus et secundum locum obtinet ac saepissime quidem praecedente adjectivo vel substantivo. Duobus vero verbis nusquam neque in Carminibus neque in Satiris et Epistolis reperitur postpositum. Unus locus est Epod. 16, 40, ubi poeta discessisse a suo more videri possit:

Etrusca praeter et volate litora,

etsi hoc quidem praepositione, quae cum suo nomine unum quasi verbum efficiat, facile excusatur.

At Bentlejus etiam in Ep. ad Pisones, quam singulari elegantia conscriptam esse constat, v. 157 ita legendum censuit:

Mobilibusque decor, maturis dandus et annis.

---

*) Carm. I, 2, 18: Vagus et. 1, 2, 39: acer et — vultus. II, 8, 14, ferus et Cupido. II, 19, 10: lactis et uberes — rivos. II, 19, 16: Thracis et — Lycurgi. III, 4, 70: notus et — tentator Orion. IV, 10, 4: nunc et. Epod. 13, 14: lubricus et Simois. 16, 32: adulteretur et. 16, 42: divites et insulas. 16, 45: germinat et. Sat. 1, 5, 58: caput et movet. 2, 3, 244: pravorum et amore.

quam lectionem tam speciosis argumentis defendit, ut eam cum aliis doctis viris, tum etiam Baxtero, adversario suo vel acerrimo, probare potuerit. Sed omnino hanc repudiandam esse vel ea satis demonstrant, quae supra de usitata particulae et collocatione scripsi; accedit, quod ipsa sententia, cujus in v. naturis praecipua vis est, maturis respuit. Quoniam autem non hoc est poetae munus, ut mobilibus naturis, quod ipsum per se esset levibus atque inconstantibus ingeniis, decorem det, vox annis i. e. aetatibus addita est, quo intelligatur naturas hominum, quorum „non eadem est aetas, non mens"*) omnibus vitae temporibus, describi a poeta pro cujusque aetate oportere, ut ab ipso Horatio deinceps egregie factum videmus.

Contra maturi anni quid sibi volunt? Viri sunt, inquit Bentlejus, et senes. Non ego hoc quidem prorsus nego, annos pro hominibus posse dici, illud vero nemo concedet, virorum et senum mores ipsos inter se non esse diversos. Ergo si hoc necessitate quadam efficitur, ne maturos quidem annos esse immutabiles, quo tandem jure soli mobiles dicuntur anni puerorum atque adolescentium? Quae autem B. ex veterum poetarum scriptis de immutabilitate humanae naturae collegit, ea hunc locum non attingunt.

In quibusdam editionibus video etiam alium locum ita distinctum, ut particulam et duae voces antegrediantur, quem, etsi dubium est, quam vim hic interpretes illi particulae tribui velint, tamen non plane in hac quaestione praetermittendum esse duco.

Is igitur locus apud Orellium sic legitur:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus;
Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Quod Orellius dicit jam nunc in clausulae fine locum non habere, verum est; at si quae hic leguntur recte interpretere, in clausula positas esse illas particulas jure neges. Etenim haec omnia arctissime inter se cohaerent, ut prius sententiae membrum posteriore, posterius priore, ut non raro fit apud Horatium, illustretur: Amatorias quidem artes intelligi vv. incestos amores declarant; de tenero ungui**) quid sit,

---

*) Epl. I, 1, 4.

**) De tenero ungui idem esse constat, quod Graeci *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων* dicunt. Ungerus autem et hunc qui sequuntur novam quandam interpretandi viam ingressi affirmant *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων* non esse a tenera aetate, ut adhuc crediderunt docti homines, sed potius ex intimis medullis, penitus, quam vim etiam illud Ciceronianum a teneris unguiculis (Epl. ad Fam. 1, 6, 2.) habere opinantur. At ex iis quidem locis, quos attulerunt, non puto effici posse quod volunt. Mihi enim videntur verba *ἐξ ὀνύχων* et *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων* non idem significare: illud quidem cum verbis *φιλεῖν, ἀγαπᾶν* similibusque conjunctum haud dubie est quod nos dicimus *aus herzensgrunde*, hoc vero semper idem videtur esse quod nostrum *von kindesbeinen an*. Nam cum in eo loco, qui apud Laurent. Lyd. de Magg. 2, 26 legitur: *Τοὺς δὲ νόμους εἰδώς, εἴπερ τις ἄλλος, οἷς ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἐνετράφη,* ipse Ungerus non diffiteatur illam formulam nihil aliud nisi a teneris, a prima aetate significare posse, quid causae est, cur non in altero quoque loco ex Anth. Pal. 1, p. 119 allato: *Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων*, eandem hujus formulae significationem esse statuamus? Tulliano certe loco Ungeri opinio non confirmatur. Quotusquisque est enim, qui haec: Praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus, potius: *zeige dich so, wie ich dich innig, aus herzensgrunde*, quam *wie ich dich von kindesbeinen an gekannt habe*, interpretanda esse arbitretur?

ex particulis jam nunc colligi licet. Quamvis igitur tenera sit illa quidem, quae incestos amores meditatur, certe tamen videri debet viro jam esse tempestiva. Nam puellulam „marito crudam“, quae Carm. II, 5, 10 cum immiti uva comparatur, intelligi noluit poeta. Ergo haec sic expedienda sunt: Matura virgo jam nunc, antequam nupta est — quod ex sequentibus intelligas — fingitur artibus et, quamvis tenera sit, (cfr. Carm. I, 1, 26) meditatur secum incestos amores; mox vero, jam nupta, non dubitat palam quae in proximis strophis*) describuntur flagitia admittere coram marito. Vide igitur, ne Bentlejus, Orellius, alii, qui vv. jam nunc ab antecedentibus distinguendi notula separant, totum locum secus accipiant.

4. Particula que semper primo membri vel incisi verbo adhaeret. Quapropter Doederlinio non possum assentiri, qui quae Carm. II, 2, 20, 10 seqq. leguntur, sic distinguenda esse censet:

— et album mutor in alitem,
Superne nascuntur que leves
Per digitos humerosque plumae.

quasi vero poetae, neglecto sermonis usu atque elegantia, ad libidinem suam verba componere licuerit.

Reperiuntur tamen complures loci, ubi que transpositum esse affirmant grammatici, de quo usu a me dictum est Lect. Ven. p. 11. Sed ne quis forte temere hoc fieri et, prout metri ratio postulet, particulam modo huic, modo illi voci adhaerescere arbitretur, nunc iis, quae l. c. tantummodo perstrinxi, pauca addere visum est. In hac igitur particulae collocatione, quam transpositionem vocant, apertum est poetam hanc legem sequi, ut illud que semper ei voci annectat, quae, omissa in priore enunciati membro vel inciso, intelligi debet ex posteriore, velut:

Sat. I, 4, 115: — — — Sapiens vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi.

i. e. Sapiens (quid) vitatu quidque petitu sit melius. —

Carm. III, 11, 13: Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere.

— III, 1, 12: Moribus hic meliorque fama.

— II, 19, 32: Ore pedes tetigitque crura.

*) Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis;

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Ita loqui poetas — nam apud Virgilium, Ovidium etc. similia reperiuntur, minus mirere, si velis cum his alia ejusdem generis enuntiata comparare, in quibus modo pro que particulas et, atque videas usurpatas.

Sat. I, 6, 70: Purus et insons si et vivo carus amicis.
— I, 8, 34: Serpentes atque videres infernas errare canes.

Si per metri legem scribere licuisset: vivoque, videresque, non mihi certe que magis quam et, atque transpositum videretur.

Jam vero quaeritur, quoniam permulta apud Horatium quae vocantur asyndeta reperiuntur, num in his quoque vox ea, quae in alterutro membro intelligi debet, in posteriore sit collocanda. Interpretes quidem non omnes idem sentiunt; plurimi tamen, a quibus ego non dissentio, Sat. II, 3, 215 sic distinguunt:

Huic vestem ut gnatae, paret ancillas, paret aurum.

Quamobrem si quis, quod paulo audacius videri potest, illa, quae Carm. III, 28, 9 seq. leguntur, accipere voluerit hoc modo:

Nos*) cantabimus invicem (ego, quod facile ex seq. tu intelligitur)
Neptunum et virides Nereidum comas,
Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae.

*) Nos hic dictum esse singulariter, quod plerique affirmant, ego non crediderim, quia vis adverbii invicem repugnat; tum vero, quod pro tu legi voluit Lachmannus, etsi non est necessarium, tolerabilius tamen hic videtur, quam Carm. 1, 20, 10:

Caecubum et prelo domitum Caleno
Tu bibes uvam; mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

ubi pronomine tu in adverbium tum mutato aperta totius strophae sententia obscuratur ac pervertitur. Neque vero ignorat quisquam ab Horatio quoque nos — non noster, ut Sat. 2, 6, 48 plerisque videtur: nam Plautinos sales et dicta non amat hic poeta. (cfr. A. F. 270—74) nec quod servum, etiam Maecenatis amicum decet — nonnunquam pro ego usurpari, ut Sat. I, 6, 18:

Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe longe remotos?

ubi a Rittero non dissentio, cum pronomen nos de solo Horatio positum esse dicit, quamquam id verbis a vulgo longe longeque remotos confirmari non concedo. Neque enim Acro, quem ipse sequitur, sed Porphyrio, qui interpretatur: qui non vulgariter sapimus, hunc locum recte percepit. Cfr. quae in eadem Sat. v. 90—93 leguntur:

Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio.

Et profecto is, quem „roderent omnes“, cui olim inviderent, quod, cum filius esset libertini, legioni tamen Romanae praeesset tribunus, tunc quia in intimam pervenisset Maecenatis aliorumque principum virorum familiaritatem, non potuit „vulgo esse ignotissimus“. Vid. quae de difficili hoc loco a me disputata sunt Lect. Ven. p. 25—29.

Summo carmine, quae Gnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Junctis visit oloribus,
Dicetur merita Nox quoque nenia.

id ego non improbabo. Nam si non repugnante metro scribere liceret et dicetur vel diceturque, nemo de veritate hujus interpretationis jure posset dubitare.

Postremo ac, quod utique raro invenias, nunquam, atque aliquoties in Sat. et Epist. uni voci ita postpositum est, ut locum suum habeat inter adjectivum et substantivum, velut:

Sat. I, 6, 111: — millibus atque aliis.
— — — 131: — avus pater atque meus.
— I, 7, 11: inter
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem.

Interdum hoc quidem dubium videri potest, ut

Sat. I, 5, 27: Maecenas optimus atque Coccejus.
— I, 10, 82: Octavius optimus atque Fuscus.

In Epodis bis uni voci postpositum est:

8, 11: Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

quae quidem verba mihi sane non videntur „pulchra esse et exactis minimum distantia."

17, 4: Per atque libros carminum valentium.

Cur secundum locum hic obtineat particula, liquet ex antegressis: — — oro regna per Proserpinae

Per et Dianae — — numina.

Vid. quae de ejusmodi repetitione (anaphora) dicta sunt Lect. Ven. p. 13.

In Carminibus vero atque nusquam postpositum reperias,*) si quidem Meinekius I, 25, 17 seqq.

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis — — — — —

*) Non omnino vera sunt, quae ad Sat. I, 5, 4 annotavit Orellius: „Horatius in epodis et sermonibus illa copulativarum particularum (atque, ac) collocatione aliquanto saepius usus est quam Virgilius, minus saepe in carminibus, maxime in posterioribus libris, perraro in epistolis, in arte poetica nusquam. et atque quidem saepius quam alii omnes inter duo quae secum artissime conjuncta sunt vocabula ponit, serm. 1, 6, 110. 131. 7, 12. 10, 28. epod. 17, 4." Haupt Obss. crit. p. 48.

Non sine questu,

Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Euro.*)

recte ita explicavit: „virenti hedera atque myrto magis gaudeat quam pulla hedera atque myrto. Pullus enim hederae myrtique color est auctumno recteque opponitur virenti. Falluntur qui haec in alium sensum accipiunt."

Falsam esse novam hanc clarissimi viri interpretationem non audeo dicere, dubiam mihi videri dissimulare non possum. Ac primum illud quidem non nego, adjectivum pulla, etiamsi id proxime ad hedera pertineat, tamen ad myrto quoque trahi vel potius cogitari posse — quem usum ipse Lect. Ven. p. 8 — 18 multis exemplis probare studui —, at duo adjectiva, quorum ille vim maxime diversam esse statuit, ad unum myrto simul posse intelligi, plus est, quam quod ego concesserim. Sunt, opinor, etiam hic certi quidam fines, ultra quos illa jam a veteribus in Horatio laudata sermonis perspicuitas consistere nequit.

Deinde duplex ille comparationis ablativus, quem Graecae linguae usu**) posse se tueri Meinekius arbitratur, haud scio an plane abhorreat a latinitate, utpote qui summae virtuti orationis, perspicuitatem

*) Vulgata scriptura Hebro equidem non video quo modo defendi probabiliter queat. Sane non apparet, cur Romana pubes Hebro potissimum, tam longinquo Thraciae flumini, aridas frondes dedicare velit. Nam quod Ritterus ait, calidis adolescentibus opponi frigidum amnem, id speciem aliquam haberet veritatis, si ipsi in hunc se praecipitare dicerentur. Nunc vero aridas frondes immittunt vel, ut Ritteri verbis utar, ad flumen nivali compede vinctum amandant. Non quaero, quanam id ratione fieri possit, illud audire velim, quid intersit adolescentium frigidam atque adeo gelu astrictam esse eam aquam, cui nihil tradant nisi aridas frondes.

Orellius autem Hebrum poni putat pro fluvio quocunque frigido et amoeno; nec tamen, quod exspectes, ille docet, quam ob causam frigidus maxime et amoenus fluvius requiratur, in quem juvenes „coronas jam vietas et arefactas contemptim spargant."

Atque non minus obscurum est, cur hiemis sodalis Hebrus dicatur. Orellius quidem multis demonstrat, quod hic nihil attinet, posse ita vocari hunc fluvium, sed, quod maximum est, quo consilio ita vocatus sit a poeta, ipse videtur ignorare. Etenim nihil affert, unde intelligatur non plane otiosum esse illud epitheton.

Jam videamus, quales sint aridae istae frondes, quas juventus dedicet Euro. Orellius coronas hederae atque myrti flaccentes intelligit et comparat IV, 13, 9, ubi Horatius eadem allegoria dicit: Importunus (Cupido) transvolat aridas quercus. At ex hoc ipso loco colligi licet quercuum esse potius aliarumque arborum aridas frondes, quae adventante hieme, quo quidem anni tempore Eurus maxime saevire incipit, praecipue hujus vi arboribus decutiuntur. Vid. Virg. Georg. 2, 339:

Hibernis parcebant flatibus Euri.

Hinc manifestum est, quam apte Eurus, qui quasi advehit hiemem aut simul cum ea ingruit, ejus dicatur sodalis. Huic autem cum laeta pubes aridas frondes dedicat, certe nihil aliud facit, quam negligit eas ac venti ludibrio permittit, hoc est, remota allegoria: nihil curat vetulas et spernit.

**) Multa sane sunt ab Horatio Graecorum more dicta, velut Carm. 2, 11, 4: nec trepides in usum poscentis aevi pauca. 3, 8, 13: Sume cyathos amici sospitis centum. 3, 19, 10: Da puer auguris Murenae. Epl. 1, 17, 10: Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. Carm. 3, 16, 28 — 32; Purae rivus aquae — —

dico, cui Romani scriptores omnino magis quam Graeci prospiciunt, nimium officiat. Quid, quod hi ipsi vix simili modo loquuntur? Abstinent certe hac constructione, ubicunque verendum est, ne ea possit sententiam scriptoris obscurare. Quapropter casum quidem materiae vel objecti, quem grammatici vocant, saepe, comparandi particula omissa, in genitivum reperias mutatum — et hanc solam consuetudinem imitari

---

fulgentem imperio — fallit — beatior. Epl. 1, 1, 82: Iidem eadem possunt horam durare probantes? Sat. 1, 3, 122: Magnis parva minaris falce recisurum simili te. Epl. 2, 1, 240: alius Lysippo. Sat. 1, 10, 86: Simul his. 2, 3, 201: Rectum animi servas? C. 1, 19, 8: Vultus nimium lubricus adspici; cujus generis permulta inveniuntur. Sat. 7, 101: Subtilis veterum judex — audis. C. 3, 20, 13: recreare pro recreavisse; contra Inf. Perf. pro Inf. Praes.: Epl. 1, 17, 5: Adspice, si quid et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur. Epl. 1, 16, 30: Pateris sapiens vocari. 1, 7, 22: Ait esse paratus. C. 3, 27, 73: Uxor — esse nescis. A. P. 56: Invideor. S. 2, 6, 84: Sepositi ciceris non invidit. 1, 9, 11: O te, Bolani cerebri felicem. Carm. 2, 2, 6: Notus — animi paterni. 2, 9, 17: Desine querelarum. 2, 13, 38: Pelopis parens laborum decipitur. 3, 27, 69: Abstinete irarum. 3, 30, 11: Daunus — regnavit populorum. 3, 17, 16: Cum famulis operum solutis. S. 2, 3, 27: Miror morbi purgatum te illius. C. 3, 13, 13: Fies nobilium tu quoque fontium. etc.

At cavendum est, ne ibi quoque poetam Graeco more locutum esse arbitremur, ubi a consuetudine vel Latina vel sua nihil recessit, ut C. 4, 9, 13 seqq.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena.

Etenim v. arsit hoc loco eadem vi positum est, qua C. 2, 4, 7:

Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.

accusativi vero illi omnes: crines, aurum, regales cultus, comites pendent ex uno verbo mirata, quod poeta Ciceronis more idcirco media in sententia collocavit, ut facilius intelligeretur, quo quidque esset referendum. Sic sane nihil erit, in quo quis jure offendat. Contra qui ex v. arsit putant illos accusativos pendere, non negant ipsi hanc rationem repugnare poetae consuetudini, qui nusquam quartum casum cum v. ardere vel ardescere conjunxerit. Quid est ergo, cur hoc solo loco eum non suo more locutum esse contendant? Profecto nihil, nisi quod notissimum illum versum ex Virgilii Ecloga II. afferunt:

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin

quo tamen certe illud probari non potest, accusativum rei quoque isti verbo addi licere. Locum autem hunc Euripideum (Troad. 991)

Ὃν εἰςιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι
Χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας.

accuratius inspicere qui voluerit, eum non posse dubitare puto, utra potius his versibus confirmetur interpretatio. Quemadmodum enim εἰςιδοῦσα non multum hic quidem differt a mirata, ita verbis ἐξεμαργώθης et arsit eadem fere subjecta notio est. Helena igitur cum admiratione summum Paridis splendorem intuetur et intuendo ardescit, ut Dido apud Virg. Aen. 1, 709 seqq.

Mirantur dona Aeneae — — —
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa.

solet Horatius — quin etiam in tertio casu id usu venit nonnunquam; genitivus*) vero num in comparatione, non praecedente particula, usurpetur a bonis scriptoribus, non satis constat. Itaque nec ratione credibile fuerit ejusmodi constructione, quam ne Graeci quidem facile admiserint, usum esse Horatium, nec certis exemplis probari potest. Nam postremam stropham Carminis III, 23:

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.**)

Similem verborum compositionem habemus C. 1, 16, 5 — 8:

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera,

Tristes ut irae etc.

Adverbium aeque in medio collocatum non magis pertinet ad illa: Non Dindymene, non Pythius quatit mentem sacerdotum, quam ad haec: Non Corybantes, si — geminant, sc. quatiunt mentem, in quo quidem membro non vereor, ne quis peritus ad mentem etiam sacerdotum intelligi necesse esse arbitretur. cfr. C. 1, 21, 7 etc.:

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi;

Vos Tempe totidem tollite laudibus.

ubi liquet ad viridis Cragi substantivum silvis solum esse cogitandum. Contra ibidem ex posteriore membro: Vos Tempe totidem tollite laudibus ad prius: Vos laetam fluviis et nemorum coma tantummodo tollite laudibus assumendum est.

Altera lectione sic pro si, quam Orellius quoque defendit, non tantum sententia corrumpitur — nam in his: Corybantes non geminant acuta aera sic, ut irae — idonea certe sententia non est — sed etiam verborum concinnitas atque elegantia perit omnino.

*) Locus ille, quem Krügerus affert Gr. Gr. p. 264.:

Ὁ οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρός
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυςγενὴς εἶναι δοκεῖ.

ab eo, de quo nunc disserimus, diversus est. Nam genitivus Ζηνὸς ex adjectivo ἀμείνονος pendet. Similiter latine dicitur: Patrem habet Jove meliorem i. e. qui melior est quam Jupiter. Durius fuerit: Patre natus est Jove meliore; at, si minus usitate, salva tamen perspicuitate dixeris: Patre natus est omnibus meliore, atque hac quidem libertate usus est Horatius aliquoties. Vid. Carm. 4, 2, 19. 20: et centum potiore Signis munere donat.

Sat. 1, 10, 55. Quum de se loquitur non ut majore reprensis. Epl. 1, 10, 11: Pane egeo jam mellitis potiore placentis.

**) Hanc stropham, qua sublata mihi mancum videtur carmen esse, Meinekius vel propter sententiam vel propter latinitatem „eripere Horatio non dubitavit.“ Ac de latinitate quidem est sane, quod paulisper haesites. Structura enim verborum

recte jam Orellius expedivit, ut ad inauditam vel certe inusitatam loquendi rationem confugere non oporteat. Cfr. Virg. Aen. 2, 589, ubi similis est verborum structura:

---

licet non prossus inusitata sit, recedit tamen paululum a solita illa, quam in Horatio admiramur, facilitate, nec in singulis quoque verbis deest, quod aliquam dubitationem movere queat. Nihil dico de forma mollibit, quae jure, ut opinor, a plerisque jam in mollivit est mutata; at in primo statim hujus strophae vocabulo, non mirandum est, si quis primo adspectu offendat. Hoc immunis quid tandem sibi vult hoc loco? Bentlejo quidem, Rittero, aliis hic quoque videtur esse, ut ubique apud Horatium, munera non offerens, ego vero fateor me omnino non intelligere, quonam modo quae manus munera non offert, eadem farre pio et saliente mica — haec enim quid sunt nisi munera? — mollire aversos Penates possit. Quam ob rem iis assentior, qui cum Scholiastis immunem esse dicunt puram sceleris vel scelere. At id repugnat Horatianae consuetudini. Non credo; fuit enim ille, ut ait Quintilianus, verbis felicissime audax, nec sum immemor, quid hac de re ipse praeceperit. „Dixeris egregie, inquit, notum si callida verbum reddiderit junctura novum.“ A. P. 47. An aliis eum hoc putabimus praecepisse, ipsum vitasse? Imo vero satis multa hujus generis reperiuntur, praecipue in Carminibus, tam callide dicta, ut nemo sit, quin ea statim intelligat, velut C. 1, 36 fin.

— — nec Damalis novo
Divelletur adultero
Lascivis hederis ambitiosior.

3, 6, 32: — navis Hispanae magister
Dedecorum pretiosus emtor.

IV, 2, 55: Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota.

Cfr. 1, 5, 10. 1, 13, 14. 1, 16, 3. 3, 6, 8. 3, 16, 26.

Bene igitur Orellius: „Omisit hoc loco genitivum, nimis certus lectorum neminem dubitaturum de significatione, quae alia esse nequit quam innocens, insons.“ Ipsa enim sententia, ut Peerlkampii utar verbis, erat notissima, a Graecis varie explicata et deinde a poetis Romanis celebrata. Quid ergo? tamenne haec, quae cum verissime, tum haud ita obscure dicta sunt, tanquam Horatio indigna recidenda videbuntur? Sed recidant sane critici, quidquid callide novavit Horatius, dummodo sibi constent. Quid vero? constanterne eos facere dicemus, si Sat. 1, 4, 29. 30.

Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio.

ubi non minus poeta ipsis a suo more recessisse videri debet, nihil offendunt aut dubitant? Quamquam in hujus quidem loci interpretatione nescio quomodo etiam alii docti viri falluntur. „Ingeniose,“ inquit Ritterus, „pingit extremam occidentis regionem: scilicet quod vespere sol tepet in nostris sedibus, extremum occidentem prae ceteris tepere significavit. Contra Tacitus occidentis extremi terras calidas esse credidit ob vicinum solem.. Germ. 45.“ Neque aliter hunc locum accipit Orellius: „Loquitur,“ inquit, de mercatore, qui lucri cupidus ab Oriente ad Occidentem omnia maria pernavigat. cfr. Epl. 1, 1, 45.

Impiger extremos mercator curris ad Indos.“

Ergo non viderunt vespertinus ne latine quidem dici pro occidentalis, apud Horatium certe nusquam usurpatur nisi de tempore. Neque ulla necessitas cogit, ut poetam hoc loco aliter ac solet loqui statuamus. Namque illi exemplo, quod Orellius affert, alia opponi possunt, ex quibus manifesto apparet ne hoc quidem loco a se Horatium descivisse:

Epl. 1, 6, 20: Gnavus mane forum et vespertinus pete tectum
— 2, 2, 184: — — importunus ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitigat agrum.

Talia jactabam — —
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit (alma parens.)

Desperato autem loco Sat. 2, 2, 29:

Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet.

quem ipse Meinekius „ab interpolatrice manu intrusum“ credit, nihil probari potest, priusquam ejus vel scriptura vel interpretatio satis constet.*)

Denique adversatur novae illi interpretationi ipsa sententia. Etenim si Lydia cum pulla hedera et myrto comparetur, non video, aridae frondes quo pertineant. Certe a pulla hedera et myrto non est dubium, quin aridae frondes distent longissime. Non potest igitur eadem anus simul cum pulla myrto et cum aridis frondibus conferri.

Quis igitur erit, qui non mecum postrema verba: ad eum — regio sic interpretari malit: *bis zu der (sonne), von welcher die abendliche landschaft (landschaft am abend) sanft erwärmt wird.*

Cfr. Sat. 1, 6, 113: — vespertinumque pererro
Saepe forum — *ich schweife oft am abend auf dem markte umher.*

Epl. I, 16, 6. 7. — — ut veniens dextrum latus (vallis) adspiciat sol
Laevum discedens curru fugiente vaporet.

Pro occidentalis, in orientem vergens usurpant latini poetae Hesperius; itaque Horatius dicit

C. 4, 15, 15: — imperii porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

*) Dici non potest, quantopere torserit doctos homines hujus loci explicatio. Audiamus modo, quoniam longum est omnium enumerare commenta, quid novissimus editor excogitaverit. „Subjectum est, inquit, pavo, hac refer ad carnem elixi (cocti) pavonis — cui quia discerptus et jusculo confusus ponitur, cauda applicari nequit, quae redditur asso, quemadmodum nunc in phasianis fieri solet — illa refer ad ejusdem avis assam carnem et cauda ornatam: *„wie sehr er jedoch bei diesem fleische von jenem gar nicht abweicht, so offen liegt, dass die ungleiche erscheinung dich berückt hat“*. Tali interpretatione ipsi omnis difficultas videtur expedita esse, num aliis quoque, nescio; mihi quidem ex opinionibus omnibus una maxime arridet Gesneri, in qua acquiescerem, nisi verbum vesceris nimis dure omissum videretur. Sed quis scit, an Horatius consulto Ofellum rusticum rusticorum more ita loquentem faciat? Et sane eadem ratione accipiendam esse duco gratam istam, quam interpretes vocant, negligentiam eorum, quae ibidem v. 9—18 leguntur. Quod si ita sit, facilius duplicem hunc comparationis ablativum feram, praesertim cum vesci non admodum raro cum accusativo junctum reperiatur. Finge igitur hac quasi accusativi vice fungi, minus fortasse in hac inusitata constructione haesitabis. Ipsam sententiam bene perspexit Meinekius, qui mancum locum sic expleri posse censet:

Carne tamen quamvis distat nihil, hac magis illa
(Delector; pulchri quid habet Junonius ales?)
Imparibus formis deceptum te patet.

Illud vero non concedo, eum quoque ablativum, qui a causa vel ab instrumento appellatur, ita ab Horatio potuisse usurpari.

Quod autem Ritterus ait, virenti hedera teneras puellas, pulla provectioris aetatis feminas notari, aridas frondes respondere vetulis, id cum per se non sit probabile, tum ab hoc loco longe abhorret; sententia enim foret: Lydia anus cum erit, flebit — non sine questu, quod pubes virenti hedera magis gaudeat quam pulla, qua ipse tamen provectioris aetatis feminas, quas juvenes utcunque tolerent, non vetulas notari dicit. Magis audirem, si liceret interpretari: Lydia — queretur, quod pubes virenti hedera et pulla magis gaudeat quam aridis frondibus, quibus ipsa similis erit.

Quae cum ita se habeant, non mihi abjicienda videtur ea sententia, quam Lect. Ven. p. 17 proposui: ad v. gaudeat ex posteriore membro magis esse intelligendum, ut verba sic ordinentur: — quod pubes magis gaudeat virenti hedera atque pulla myrto quam aridis frondibus.

Cfr. Epod. 2, 50: Non me Lucrina juverint conchylia
Magisve rhombus aut scari.

Sat. 1, 2, 124: Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura videri.

Nec tamen repugno, si quis hunc locum ita expedire malit, ut vv. magis et pulla trajecta esse existimet, qua ratione id quoque assequimur, ut particula atque, cujus causa suscepta haec disputatio est, non insolitum locum obtinere videatur. Cfr. quae de his verborum trajectionibus, quae hyperbata vocantur, quaeque satis multa apud Horatium inveniuntur, a me dicta sunt Lect. Ven. p. 20 seqq.

At, fateor, unum est, quod nescio an haec ita interpretanti aliquis possit objicere: Nusquam hac comparationis forma usus est Horatius. Solita enim ratio postulabat, ut diceret: quod pubes magis myrto gaudeat, quam aridis frondibus, quas Euro dedicet. Verum tamen non desunt apud Horatium mutatae constructionis exempla, quamquam eam non studiose, ut quidam scriptores solent, consectatur. Vid.:

Sat. 1, 6, 110: Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Millibus atque aliis vivo.

— 2, 3, 67. 68: Tunc insanus eris, si acceperis, an magis excors
Rejecta praeda, quam praesens Mercurius fert.

Epod. 1, 5. 6: Quid nos? quibus te vita sit superstite*)
Jucunda, si contra, gravis.

---

*) Te superstite pro si superstes sis, ut C. 4, 8, 5:

divite me pro si dives essem.

Sic ego hunc locum jam Lect. Ven. p. 20 explicavi, neque tamen cuiquam praeter Meinekium meam rationem potui probare: ita tenaciter alteram lectionem si pro sit retinent critici. Ritterus hoc quidem vidit, verbum substantivum abesse non posse, „quin structura loci difficilis evadat et obscura h. e. minime Horatiana“, sed quomodo ei, vulgatae lectionis mutationibus tam alieno, sua scriptura si est, quam adversantibus omnibus libris in textum recepit, placere potuerit, permirum videri debet.

Carm. III, 29, 53: Laudo (Fortunam) manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit.

alia similia, in quibus ego tamen non duco Epl. II, 1, 31, ubi vulgo legitur:

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri,

de quo versu dictum est Lect. Ven. p. 17. 18.*)

---

*) Orellius, cum quo nunc, excepto Meinekio, ceteri consentiunt, se dicit non videre, cur variata haec constructio mutetur, quam equidem ab Horatio profectam esse hodie quoque prorsus nego. Nam quae exempla afferuntur, ut Epl. 1, 2, 16:

Iliacos intra muros peccatur et extra.

et similia, quid tandem probant? Alio modo nemo unquam locutus est aut loqui potuit. An latine dici putant intra et extra muros? Si in hoc loco scribi potuisset: nihil intra oleam est, nihil extra, omisso in nuce, quis quidquam mutandum censeret? At duo hic sunt nomina inter se opposita: in olea nihil duri est intra, in nuce nihil duri est extra, quam concinnitatem scriptor elegantissimus et variandae constructionis haud nimis studiosus cur negligere voluerit ac corrumpere, quis dixerit? Nec ad ea quidem satis attendit Orellius, quae ipse alio nomine affert: „Alia (gignuntur) baccis, quarum intus lignum et extra caro, ut olivis, cerasis.“ — — „Aliorum intus corpus et foris lignum, ut nucum.“ Plin. H. N. 15, 28. 34.

Caput II.

Carm. III, 1, 1—4.

Odi profanum vulgus et arceo;
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Illustris haec stropha, quam vix credideris interpretationis lumen desiderare, mihi dubium est, num adhuc sit a quoquam recte percepta atque explanata. Etenim ex tot tamque variis sententiis, quae a doctissimis viris de ea sunt propositae, ne una quidem est, quae omnia diligenter consideranti satis probari posse videatur. Illud quidem, in quo uno ore consentiunt omnes, verum puto, prooemium quoddam esse hanc stropham; num vero ea hujus unius carminis prooemium sit, an sex priorum, ut nunc plerisque videtur, an totius tertii libri, magna inter eos controversia est, quae tamen non admodum difficilis fuerit ad dijudicandum. Namque eorum opinioni, qui unius tantum esse volunt, non solum illud obstat, quod de

uno certo quodam carmine Horatius pluralem numerum usurpare non solet*), sed ipsum quoque hujus poematis argumentum, quod certe inauditum aut excelsius quam aliorum quorundam, quae in prioribus reperiuntur libris, jure dici non potest. Nec sane magis mihi probatur eorum commentum, qui hanc stropham sex prioribus tertii libri carminibus praemissam esse dicunt. Nunquam profecto quasi cyclum quendam sive corpus poematum finxit Horatius, neque ullum est in his verbis vestigium, unde appareat nunc poetam recessisse a sua consuetudine. Nam ne hoc quidem dederim, quo illi potissimum confirmare suam opinionem student, priora sex carmina arcto quodam vinculo inter se apta esse et conjuncta. A metro enim cum discesseris Alcaico, quo quidem quam frequenter Horatius utatur, nemo ignorat, quidnam est, quo illa arcte inter se cohaerere videantur? Majorne intercedit, ne omnia persequar, inter primum et sextum similitudo quam inter primum et sextum decimum? Quin statim quod proxime sequitur a primo carmine ita diversum esse video, ut ne haec quidem duo, quae vel maxime inter se cohaerere dicunt, uno quasi tenore legenda esse concedam. Nimirum primi quidem carminis hoc argumentum est: Quoniam non magnis opibus, quae potius sollicitos habent homines, sed animi continentia atque frugalitate beata vita efficitur, non ego stultus parvum meum praedium cum operosioribus divitiis permutabo. Secundo vero carmine poeta Romanos acriter cohortatur ad studium earum virtutum, quibus potissimum reipublicae salus continetur, fortitudinis, virtutis, pietatis erga Deos.**)

Hinc intelligendum esse puto, ipsa quoque orationis forma hoc carmen non paulum ab illo primo discrepare, in quo modo simpliciter exponit, quid privato sibi ad beate vivendum imprimis optabile videatur. Quamobrem nihil sane hic vinculi invenio, quo duo haec poemata tam apte sint inter se connexa, ut secundum adeo pro appendice quadam primi haberi debeat. Nam *angustam* quidem paupertatem ipsam per se Horatius neque sibi usquam dicit expetendam, neque eam hic tanquam illarum, quas paulo ante commemoravi, virtutum fontem aliis commendat. *Militarem fortitudinem* laudat per priores quatuor strophas, juvenumque „animos in Martia bella versibus exacuit" pulcherrimis. Verba autem: *angustam — pauperiem* eo consilio videtur in capite carminis collocavisse, ut non solum fortiter manum conserere cum hostibus, sed, quod imprimis difficile est, aerumnas etiam atque inopiam victus aequo animo perferre boni militis esse demonstraret.

---

*) Vid. Carm. I, 32, 4. IV, 6, 43. Carm. Saec. 8.

**) *Fidem* tertiam virtutem esse qui volunt, volunt autem plerique omnes, nimium tribuunt adjectivo *fidele*, quo cum substantivo *silentium* conjuncto istam virtutem significari existimant. At haec opinio et ipsa per se parum est probabilis, et verbis deinceps sequentibus, in quibus nulla omnino fidei significatio est, refutatur. Non enim agitur hic de quocunque silentio, sed de eo tantum, quo uti ii debebant, qui erant sacris sive mysteriis Cereris initiati. Haec qui enuntiasset, non tam infidus quam vel maxime impius, incestus judicabatur, cujus omnes defugiebant consuetudinem.

— Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselon. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum etc.

Est autem mos poetarum, ut saepe partem pro toto ponant, quem secutus Horatius *fidele silentium sacris* (Virg. Aen. 3, 112) pro universa pietate erga Deos usurpavit.

Cavendum est igitur, ne vv. *acri militia* cum adjectivo *robustus* jungamus, quod plerique pro *robustus factus* positum arbitrantur; quasi vero ad acrem militiam, qualis deinceps describitur, pueri parum valentes soleant deligi. In soluta quidem oratione compositio verborum utique postularet, ut *acri militia* ex *robustus* pendere diceremus, in vincta non postulat. Cfr.:

Carm. IV, 15, 29: Virtute functos, *more patrum*, duces
— — — — — *canemus*.

Carm. Saec. 39: Cui per ardentem *sine fraude* Trojam
— Aeneas — *munivit iter*.

Carm. I, 35, 39: — — O utinam nova
Incude *diffingas* retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

At enim eorum opinioni, qui illam stropham totius tertii libri praefationem esse statuunt, repugnant magnifica haec verba: *carmina non prius audita*, quae quoniam novitatem quandam rerumque excelsitatem profitentur, ad sex priora tantum, ceteris longe praestantiora carmina pertinere possunt. Hoc quam vere sit dictum, jam videamus. Quum autem longum sit complurium carminum perlustrare argumenta, hujus primi potissimum liceat sententias persequi accuratius, ut, si nihil in iis invenerimus, quod vere prius non auditum dici possit, jacere totam rationem adversariorum appareat. Cum his igitur, quae v. 13 — 16 leguntur, quibus gravissima priorum stropharum continetur sententia:

— —: *aequa lege Necessitas*
Sortitur *insignes et imos*:
Omne capax movet urna nomen.

compares velim praeter Carm. I, 28. II, 14, in quibus poeta varie eandem sententiam exponit, imprimis illa satis nota:

Carm. I, 4, 13: Pallida Mors *aequo* pulsat *pede pauperum tabernas*
Regumque turres.

— II, 3, 20 etc. Divesne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

Quin ipsis verbis non multum haec differunt:

Omnes eodem cogimur, *omnium*
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exsilium impositura cymbae.

Il. c.

Jam his, quae insunt in quinta et sexta stropha:

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

Somnum reducent. Somnus agrestium*)
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

similia sunt, quae Carm. II, 16, 9—16 reperiuntur:

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Posteriore hac stropha exprimitur etiam sententia eorum, quae subsequuntur:

Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare etc.

Adde Carm. II, 10, 5 seqq.: Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

---

*) De structura horum verborum interpretes inter se discrepant. Plerique genitivum agrestium virorum cum domos jungendum esse dicunt; quae ratio vel ideo improbanda est, quia in Carminibus nusquam Horatius similiter verba composuit. Orellius autem duplicem statuit constructionem: „Somnus lenis agrestium virorum non fastidit virorum agrestium (eorum) humiles domos“, cujus constructionis ego necessariam causam non video. Assentior igitur Dillenburgero locum ita interpretanti: „Somnus, quo recreari videmus agrestes homines, non fastidit parva eorum tuguria aut cespitem sub divo positum“. Ac sane non propter eam causam leni somno gaudent homines agrestes, quia non habitant, ut divites, in magnificis domibus, sed quia et assidue opus faciunt ruri et otiose ac frugaliter vivunt, sua sorte contenti. Ita fit, ut lenis somnus eorum quasi proprius sit, quem, ubicunque sunt, sive in casa sive sub divo facile capiunt. Apte confert Orellius Eccles. 5, 11: Dulcis est somnus operantis, saturitas autem divitis non sinit eum dormire.

Carm. I, 31, 15: — — Me pascant*) olivae,
Me cichorea levesque malvae.

Atque etiam haec, quae quidem Peerlkampius, non improbante Meinekio, negat ab Horatio profecta esse:**)

Contracta pisces aequora sentiunt
Jactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae

Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.

---

*) Sic legendum duco, non pascunt, quod in omnibus fere libris et manu scriptis et impressis reperitur. Satis enim opinor perspicuum esse, haec verba: me pascant olivae etc., quoniam prioribus illis: dives mercator exsiccet etc. opponuntur, non posse nisi sic intelligi: mihi satis sunt olivae, non ego meliora desidero, quae quidem notio quia indicativo modo, nisi addito adverbio satis, non exprimitur, praeferatur necesse est conjunctivus, quo declaretur modicis opibus Horatium esse satis beatum. Nempe quemadmodum quae aureis culullis exsiccantur vina totam mercatoris opipare paratam coenam et magnas divitias, ita olivae levesque malvae omnino tenuem poetae victum et „parva vectigalia“ indicant, in qua loquendi ratione equidem nihil video, quod sit ab Horatiano usu alienum.

Simillimus locus est Epl. 1, 18, 106 seqq.

Quid (me) sentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
Quod superest aevi etc.

Verbis: Sit mihi quod nunc est, etiam minus quam ea quae mihi probatur lectio confirmetur, manifestum est. His autem: et mihi vivam quod superest aevi etc. respondent proxima: Frui paratis etc., quae, ut vel ex collocatione verborum perspici potest, arctissime cum antecedentibus, a Peerlkampio quidem atque a Meinekio damnatis, cohaerent. Dictum est de hac stropha Lect. Ven. p. 15.

**) Vide, ne non digna sint haec a Peerlkampio prolata argumenta quae refutentur: „Timor et Minae, inquit, scandunt in aedificium illud in mari constructum. Sed hujus aedificii modo vidimus fundamenta. Igitur fundamenta scandit dominus.“ — — — „Unde novimus dominum, postquam in mari aedificaverat, mox patriam relinquere adeo, ut Cura eum proficiscentem sequatur.“ Miror, cur non idem ea quoque quae subsequuntur, resecanda censuerit. Spectant nimirum haec: Quod si dolentem nec Phrygius lapis etc., ad proxime antegressa, quibus deletis nihil omnino habent, quo referantur. Itaque qui constanter facere volet, aut delere haec omnia aut nonam decimamque stropham suo loco retinere debebit. Atque in his quidem verbis: Phrygius lapis etc., quorum in hoc carmine nulla facta mentio est, nemo offendet, qui vel C. 1, 20, 9—12, quem locum supra p. 7 excitavi, vel C. 1, 35, 29 etc.:

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos — — —
— — — O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas — — ferrum

recte perceperit. Cfr. Ritteri annot. ad C. 1, 20, 9 — 10. — Alterum locum ille secus interpretatur.

partim conferre licet cum C. II, 18, 17 etc.

Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, et sepulcri
Immemor struis domos,
Marisque Bajis obstrepentis urges
Summovere litora,
Parum locuples continente ripa.

partim cum C. II, 16, 25 seqq.

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

Denique duabus postremis strophis:

Quod si dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus —
— — — — —
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

similitudo quaedam est cum his locis:

C. II, 16, 7 etc. Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, — — —
— non gemmis neque purpura venale neque auro.

Ibid. 17 etc. Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

His ita expositis perspicuum esse debet, ad argumentum quidem verba ea, de quibus nunc quaerimus, pertinere non posse, neque ego omnino ullam esse causam video, cur ea non ita intelligenda esse arbitremur, quemadmodum poeta ipse satis aperte declaravit. At hoc nescio quo pacto persaepe fit, ut ingeniosi homines potius remotissima quaeque quam ea spectent, quae ante pedes sunt. Itaque minus mirandum est, si in horum quoque verborum interpretatione adhibere quaedam noluerint, quae facillime petere ab ipso Horatio poterant. His ego potissimum nunc utar ad eam quae mihi probatur sententiam, quantum fieri poterit, ita confirmandam, ut ea non facile ullis argumentis refelli aut labefactari possit.

Reperiuntur autem apud Horatium imprimis duo loci, in quibus quid ipse de novo suorum carminum genere et arte judicari velit, haud obscure significat. In epilogo tertii libri haec sunt:

Dicar — — — —
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

quae nemo dubitare debet quin ad totum librum pertineant. Ergo Aeolium carmen cum dicit, totum lyricum genus vult intelligi; neque alter locus obstat, qui legitur Epl. I, 19, 32:

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen.

Alcaeum dicit, quem quidem potissimum, nec tamen solum imitando expressit. Suo autem more non enumerat omnes deinceps poetas, quos vulgavit; ne Sappho quidem nominat, quia non est necesse, non vero, ut Bentlejus et alii permulti opinantur, propterea quod Catullus jam Sapphica quaedam ediderat. Nam vel ex Sat. I, 10, 19 licet suspicari non ita multum Horatium tribuisse Catullo, nec probabile est ista eum duo poematia, quae ille Sapphico metro scripsit, tanti fecisse, ut non ipse sibi in hoc quoque genere princeps videretur.

Atqui si jam constat prius non audita haec carmina praecipue ob eam causam dici, quod lyrica argumenta in iis Graecorum more nova arte „novisque fidibus" tractantur, certe etiam illud apparet, cur poeta potissimum hujus libri tale prooemium esse voluerit. Nam cum neminem fugiat profecto, praestantissima in tertio libro inesse poemata, quippe quae non solum orationis elegantia, sed etiam, quod vel maximum videri debet, metrorum jucunditate plerisque ceteris longe antecellant, nonne consentaneum esse putabimus ipsum quoque poetam plurimum his tribuisse, quibus absolutis vere ac merito scribere potuerit:

„Exegi monumentum aere perennius."?

Reliquum est, ut de postremis quoque hujus strophae verbis: Virginibus puerisque canto. quae quemadmodum explicari oporteat, haud minor dissensio est, pauca dicenda sint. Sed antequam mihi quid videatur de his aperiam, non alienum erit diversas clarissimorum interpretum cognoscere opiniones.

Fuerunt igitur, qui quoniam festis diebus, praeeunte sacerdote, pueri et puellae claris parentibus orti laudes deorum canere solebant, hic quoque ejusmodi chorum intelligendum esse arbitrarentur, cui poeta, ut ludis saecularibus factum scimus, nova sua carmina cantavisset. Sed haec ratio, quae nullo idoneo confirmatur argumento, nostra aetate explosa est. Nunc sane fere omnes Acronis sequuntur interpretationem, Horatium promittere dicentis, se carmen prolaturum, quo teneras aetates ad utilia instituat, quibus ad vitam beatam pervenire possint." „Utique enim, inquit Orellius, de eo, ut talibus carminibus aequales suos provectioris aetatis commovere pravosque eorum mores corrigere posset, omnis spes deponenda erat."

At jam Sanadonus tantum abest ut scholiastae assentiatur, ut eo maxime, quod tam ardua morum praecepta ab aetate provectis potius possent quam a pueris intelligi, totam stropham plane hinc resecuerit et prologum carminis saecularis fecerit. Audacissima profecto haec ratio est et parum probabilis; et tamen, si mihi necesse esset alterutram amplecti opinionem, certe hanc Sanadoni nihil cunctarer alteri praeferre. Namque etsi hoc quidem facile dederim, apud Romanos quoque non defuisse illis temporibus, qui in usum carae juventutis poemata pangerent „puerique aurem ab obscoenis sermonibus torquerent atque etiam pectus praeceptis formarent amicis": nemo tamen unquam ulla ratione mihi poterit persuadere, Horatium non Augusto potius, non Maecenati, non aliis permultis doctisque amicis, non denique

omnibus*) omnium aetatum peritis hominibus haec pulcherrima suorum carminum cantare voluisse, quam virginibus puerisque, qui sane multa, quae in iis admiramur, vix mente assequi possent, quaedam etiam, velut ea, quae C. III, 6. de nuptarum virginum moribus dicuntur, ne legere quidem deberent.

Haec ego, quae modo dixi, non dubito, quin etiam interpretes secum reputaverint. Suspicor igitur ipsos aliquamdiu in illorum verborum interpretatione haesitavisse; cum autem neque Sanadoni audaciam comprobarent, neque aliam difficultatis expediendae viderent viam, necessitate coactos ad eam sententiam accessisse, quae ipsis paulo tamen videretur probabilior.

At enim ipsa verba omnino plana sunt ac dilucida, neque intelligi ullo alio modo possunt. Illud verum est, hoc nego. Neque enim obscure quid sibi vellet significavit Horatius, nec locutus est ambigue, qui videlicet ab ea consuetudine, qua in comparationibus solet uti, hoc loco non recesserit.

Poeta nimirum non dicit se esse vere sacerdotem, sed, quod liquido apparet ex addita voce Musarum, se comparat tantummodo cum sacerdote, qui pueris ac puellis carmina cantet. Ex duobus autem his membris: prius non audita carmina offero, ut sacerdos virginibus puerisque carmina cantat, suo more unam sententiam effecit. Manifestum est igitur, totum locum esse hac fere ratione expediendum:

Quemadmodum sacrorum sacerdos, remotis profanis factoque silentio, carmina virginibus puerisque cantat, sic ego nova haec Musarum dona non maligno**) vulgo, quod odi, sed omnibus offero, in quibuscunque magnum harum rerum studium atque judicium est.

Veram esse hanc sententiam, aut certe non alienam ab Horatii mente nec summo poeta indignam, neminem futurum spero, qui non fateatur; verba autem ne cui repugnare interpretationi meae videantur, nunc ex similibus locis, qui permulti reperiuntur apud Horatium, nonnullos visum est subjicere et, sicubi opus fuerit, breviter explicare.

Carm. III, 29, 54 etc. — — — — et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Verba probam, sine dote, quaero quomodo dicantur, in promtu est. Locus igitur sic explanari debet: honestam paupertatem praefero, ut si quis probam uxorem quamvis indotatam quaerit.

Sat. I, 4, 120: — — — — — Simulac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice.

i. e. non jam egebis custode, ut si quis nare didicerit, facile carebit cortice.

---

*) Carm. 2, 20, 17—20: Me Colchus et — Dacus et ultimi Noscent Geloni: me peritus Discet Iber Rhodanique potor.

**) Carm. 2, 16, 39. 40. Mihi Parca — dedit malignum Spernere vulgus.

Sat. II, 1, 18: — — — — — Nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

i. e. ut equus, si ei male palpere, recalcitrat, ita Caesar respuit scripta alieno tempore ipsi oblata.

Epl. I, 10, 8 etc.: Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum fertis rumore secundo,
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso.

i. e. urbanas delicias fugio, ut sacerdotis servus liba recusat.

Carm. III, 26, 1: Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria.

Car. Frankii conjectura duellis sit sane elegans, ut Meinekio videtur, necessaria non est. Nam cum saepe etiam nude positae vel metaphorae vel allegoriae atque similitudines inveniantur, velut Carm. II, 2, 13—16 II, 5. II, 10, 9—12. III, 20. IV, 15. Sat. I, 4, 34. II, 5, 45. Epl. I, 1. I, 3, 21. I, 14, 43. I, 18, 87. II, 2, 97. A. P. 28, 229, non raro tamen, ut sententiae vitet obscuritatem, poeta ea, quae verbis ornantur translatis, prius propriis et suis exponit.

Carm. II, 1, 1 etc. Motum — civicum
— — —
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

— IV, 2, 1 etc. Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis etc.

Epl. I, 14, 8.: — — — — — — Istuc mens animusque
Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.

— II, 199. 200: Pauperies immunda domus procul absit: ego utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem:

Sententia haec est: Magna sit mea domus an parva, dives an pauper, nihil refert: utar ego una et eadem fortuna.

Cfr. Epl. I, 10, 32: — — — — — Licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.

At munda tamen domus sit oportet, sordes longe absint. Fortiter sane effert poëta hanc sententiam, quae nec acui ulla conjectura, nec imminui ac debilitari debet. A tecti supellectilisque sordibus quam refugiat Horatius, disces ex Carm. II, 10, 7. Sat. II, 2, 53. 65. Epl. I, 4, 11. I, 5, 7. 21 seqq.

Interdum tamen *praecedunt* ea, quae metaphoram aut allegoriam continent; ut

Carm. IV, 13, 9 etc. Importunus enim *transvolat aridas*
Quercus et refugit te, etc.

Nec desunt denique loci, ubi in una sententia poeta *translatis propria* verba *immiscuit* ut:

— II, 7, 15—16. Te rursus in *bellum* resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

— IV, 2, 7. 8. Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus *ore*.

nam *profundo Pindarus ore* dictum est ut *pede Poena claudo* C. III, 2, 32 et *majore poeta plectro* C. IV, 2, 33. De *amnis ostio* cogitare noli.

Epl. ad Pis. 58. — — — — — — Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota *producere nomen*.

Si recte se habet vulgata haec lectio, statuendum est poetam cum vi ea repetere ac breviter complecti, quae antegressa argumentatione efficiuntur: *producere* autem propter rationem versus positum esse pro *proferre*, ut C. IV, 2, 39 *dabunt* pro *donabunt*. At Bentlejus, cui inficeta haec repetitio et parum probabilis videtur esse, scripsit *procudere nummum*, quia comparatio esset sermonis cum moneta.

Alii nimis subtiliter, opinor, *producere* interpretantur *in notitiam hominum*, *in scenam proferre*, postquam domi signatum est: „nam hoc licere, inquit Ritterus, ut quis procudat quicquid velit verborum, dicere nihil attinebat, sed in hominum usus producere ac ceteris acceptum reddere, hoc sententia postulat.“ Orellius autem hoc quoque contra dicit: „Signatum praesente nota procudere nummum est mera ac perpetua necessitas, non licentia, libera facultas.“ Equidem non improbarem Bentleji scripturam, si ea librorum auctoritate firmaretur. Etenim *procudere* est illud quidem, ut Lambinus affirmat, in libris aliquot manu scriptis, *nummum* vero reperitur nusquam. Sententia tamen certe aptissima est, nec ipsa verba ab usitata consuetudine abhorrent: Ut omnibus temporibus licuit et licebit novos nummos procudere, ita nemini non concessum est nova verba fingere vel in medium proferre.

Quam ob rem, cum, etiam damnata Bentleji conjectura, tamen, si modo *procudere* legas, sententia non solum eadem maneat, sed etiam proprio verbo *nomen*, ut ex supra allatis exemplis intelligi debet, magis illustretur, consentaneum, credo, erit illud *producere*, quod vix subtili quadam interpretandi ratione tueri possunt docti homines, prorsus rejicere, participium *signatum* autem, quo lectionem *procudere* Orellius dicit excludi, eodem modo explicare, ut ipse in eo loco, qui infra v. 294 legitur, participium *perfectum*, interpretandum esse arbitratur.

Haec ego habui de divina illa maximeque omnium celebrata stropha quae hoc loco dissererem; quibus haud scio an jure mihi persuadeam ita omnem sublatam esse difficultatem, ut vix ulla de poetae sententia dubitatio relinquatur.
